





POSITIONUM CONTROVERSARUM,  
**EX JURE FEUDALI,**  
&  
**MATERIA DE EXSPE-**  
**CTATIVA ET SIMULTA-**  
**NEA INVESTITURA,**

1665, 16.

depromptarum,

35

**DECADEM**

PRÆSIDE

**ERICO MAURITIO,**

U. J. D. & Acad. h. t. Rectore.

*disputandam proponit*

FRIDERICUS à Weyler /  
Eques Francus.

*Ad diem 15. Aprilis,*

horis pomerid.

*In Auditorio Jctorum.*

TUBINGÆ,

Typis JOHAN-HENRICI REISII,

ANNO M DC LXV.







I.

**R**omissio Feudi, facta sub conditione, quæ in casum mortis certi Vassalli possessoris concipitur, Placentinis, Alvarotto, Andreae de Isernia, Matthæo de Afflictis, Claro, Hieronymo Scurfio, Cardinali Tusco, Cæsari Ursillo *in addit ad Matthæi de Afflictis Decisiones Neapolitanas*, & plerisque casibus Scenkio Baroni, improbanda videtur. Nos contrariæ sententiæ, utpote communi, cum Baldo, Mozzio, Zasio, Borcholto, Bocero, Hunnio, Vultejo, Hartmanno Pistoris, Sneidervino, Wesembecio, Schonero, Ludvvello, Jano ab Arcedura, Gailio, & Fabricio in *Notis ad eundem*, Rudingero, Hammelio in *Tract. Iuris Feudalis*, Scultzio, Speidelio, Klockio, *in tract. de arario*, Warnero in *Disput. Lugdunensibus*, Finckelthusio, Suevo, Berlichio, & Dn. Struvio meritò subscribimus.

I I.

Dominus, ex hac promissione conditionali, existente conditione, ad Feudum præcisè tradendum obligari videtur Hartmanno Pistoris, Andreae de Isernia, Bocero, Setzero, Ario Pinello, Ludvvello: at liberari præstâdo interesse, Alvarottus, Curtius Junior, Julius Clarus, Mynsinger, Borcholt, Rosenthal, Aru-  
meus, Berlichius quoq; & Carpzovius, verius existi-  
mant.

mant. Nobis placet distinctio Dn. Struvii, qui respiciendum putat ad naturam conventionis, qua feudum promittitur, secundum quam obligatus erit Dominus: v. g. si per donationem Feudum promiserit ad præcise tradendum tenetur; qua ratione etiam obligatur, si emptio venditio intercesserit.

### I I I.

Si certus casus exprimat, puta si Vasallus possessor decesserit sine liberis, alio vero modo Feudum revertatur ad Dominum, forte propter Feloniam, aut quod ipsi refutetur, an credemus conditionem exstitisse, ita ut Dominus obligatus sit ad Feudum tradendum, cum Matthia Colero & Vultejo, celeberrimis Germaniæ Juris consultis? Nos erroneam eorum sententiam pronuntiare nil veremur. Quod & glossa sequitur, & communi DD. calculo rarum esse ipse Vultejus profiteatur, qui inde monet in judicando aut consulendo recedendum non esse: atque suum, inter cæteros, ei quoque calculum addunt Andreas de Ifernina, Matthæus de Afflictis, Hartman Pistoris, Schraderus, Berlichius, Carpzovius, Dn. Struvius: Sed & in illam sententiam Clarissimus est Juris Feudalis Saxonici textus & glossæ Interpretatio.

### I V.

Quid vero si liberos habeat Possessor Vasallus, an recte concedetur Expectativa? Negativam communem ait Fachinæus, quam & sequitur; quæ est & glossæ, Alvarotti, Andreae de Ifernina, Matthæi de Afflictis, Boceri, sententia. Verior tamen affirmativa, propugnata ab Hartmanno Pistoris, Vultejo, Hunnio, Finckelthufio

ckelthusio, Ludvvello, Struvio, quam & praxi hodierna probari testatur Dn. Ludvvel.

## V.

Si is cui Dominus promittit Feudum, ante moriatur, quam Vasallus possessor, non solum illi, sed ejus etiam hæredibus ad promissionem adimplendam Dominus est obstrictus, ut recte Andreas de Isernia, Matthæus de Afflictis, Hartmann Pistoris, Vultejus perhibent; etiamsi hæredum in promissione nulla fiat mentio; modo non expressa restrictione, ad certam personam, manifeste exclusi intelligantur: monente Dn. Struvio. Neque movemur manifesto textu Juris Saxonicæ Feudalis, quo contrarium sancitur. Eum enim moribus vel nunquam approbatum, vel certe improbatum, ex Hartmanni Pistoris & Carpzovii testimoniis abunde patet.

## V I.

Si Feudum vivo Prælato qui expectativam concessit aperiatur, & forte abusive prælatus illum cui feudum promisit investiverit, ante traditionem vero decesserit, an successorem ad Investituram adimplendam & Feudum tradendum adstringemus? Ita planè, secuti Andream de Isernia, Matthæum de Afflictis, Jacob de St. Georgio & veteres alios, cum quibus & facit Dn. Struvius; quem recte respondisse argumentis dissentientis Finckelthussii non dubitamus; licet is in suam sententiam iisdem traxerit Dn. Suevum qui pro eadem, sed male, Hartmannum quoq; Pistoris adduxit.

## V I I.

Simultaneæ Investitura exempla esse in textu consuetudi-

suetudinum Feudalium videtur Carpzovio, cum aliis nonnullis: quod negat Schonerus, & Finckelthusius. Ludvvellus reperiri quidem, sed aliam esse, quæ & Struvii est sententia, putat. Nos non dubitamus in Saxonia & aliis Germaniæ pluribus locis receptam hodie **simultaneam investituram**, nec ex Jure communi Feudali nec Saxonico scripto, sed moribus & consuetudine esse, cum Dn. Suevo, Finckelthusio, Schone-ro. Quod & Antonius Gothofredus intellexisse videtur. Is enim propter hanc Investituram simultaneam hodie Feuda in Germania rectè dividi posse scribit in *Disp. 1. feud. th. 7. lit. t.* in feuda Juris Saxonici & Longobardici.

### VIII.

Vasallus non possidens Feudum, non tenetur ad petitionem Renovationis Investituræ, Jure communi Feudali: quod in dolo esse non reputetur; qui tamen eo jure ad Feudi privationem requiritur, ut rectè post Hartmannum Pistoris, Dn. Suevus judicat; licet aliud de jure communi etiam, placeat Finckelthusio. At secus est jure in Saxonia & aliis nonnullis Germaniæ provinciis moribus recepto, ubi si Dominus vel Vasallus mutetur, Renovationem simultaneè investiti, etiam qui sunt remotissimo gradu, petunt, vel ipsi vel per Procuratorem; Ni fecerint, si remissio Domini vel justa causa non intercesserit, effectus simultaneæ Investituræ cessat, quod post antiquiores Scriptores Saxonicos, Scultzius, Finckelthusius, Suevus, Carpzovius, uno ore affirmant, & Responsis Facultatis Juridicæ Academiæ Tubingensis & Lipsiensis inter alia confirmat Scultzius.



Scultzius. At Expectiva non nisi eveniente casu mortis, & post acceptam possessionem, Investituræ petendæ necessitatem habet.

## I X.

Si Agnati simultaneè investiti plures, iidemque non æqualis gradus concurrant, utri præferentur? Ex Juris Civilis recepto in allodialibus Jure, & Feudalis communis dispositione, dicendum videbatur præferendos esse gradu propiores remotioribus; sed nulla gradus prærogativa observatâ, remotiores una cum proximioribus admitti, expeditissimi Juris est, quod agnoscunt Sneiderus, Bocerus, Thomingius in Consiliis, Hartman Pistoris, Finckelthufius, Carpzovius, Dn. Suevus, Rennemannus; frustra in adversam sententiam concedente aliquamdiu, Henningho Gœden qui ipse tamen consilio 22, improbat, quàm Conf. 21. probaverat opinionem. Non enim agnatio, sed sola simultanea Investitura in Saxonia attenditur, cui omnes investiti æqualiter innituntur. Secus tamen est, si addatur ab Investiente, & reperiatur in Investitura, Clausula, nach rechter Sipzahl / aut similis, exprimens voluntatem Investientis diversam, quod recte addunt Scultzius & Dn. Struvius: aut si consuetudine loci, vel familiæ, ut proximiores remotiores excludant, receptum sit, observantibus id jam, Hartmanno Pistoris, Berlichio, Carpzovio, Finckelthufio, Dn. Richtero, Dn. Suevo: quod apud Thuringos moribus invaluisse scripsit Colerus in Decisionibus.

Inter

## X.

Inter possessorem Feudi, & eos qui simultaneè  
investiuntur, ut intercedat conventio de mutua suc-  
cessione necessarium non esse, contra Pruckmanni &  
aliorum assertum, adstipulamur Hartmanno Pisto-  
ris, & Dn. Struvio; licet non diffiteamur,  
id plerumque fieri.



X 2615924

7V 9A





B.I.G.

Farbkarte #13

RSARUM,

DALI,

1665, 16.

EXSPE.

ULTA-

35

M

RITIO,

ectore.

Beyler /

REISIL,